



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio Vltima. Quæ, & qua ratione in prædicamento collocentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. Vltima Quæ, & qua ratione, &c. 543

lis vt Origenes, Imperator, Cæsar, dialogo 1. post medium. Basilii lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 16. Atanasius lib. de communi essentia Patris in fine, quia definit Angelum esse animal rationale. Diuus Bernardus sermone 5. in Cantica, & lib. 5. de consideratione, c. 4. & Rupertus lib. 1. de Trinitate, & multi alij; & nihilominus nullo modo potest dici Deo hos sanctos tribuisse corpus, & errasse; ita miserrime circa Deum vt ipsum corporeum, & materialem facerent; ergo pari modo non potest colligi Aristotelem errasse circa Deum faciendum eum corporeum, & materialem, ac proinde animal rationale immortale, ex eo quod Angelus tribuerit corpus, & materialitatem, nam ad cognoscendum Deum à posteriori saltem, vt immaterialem, & spiritualem multa media reperiuntur in metaph. quæ nō occurrunt vt cognoscamus naturam Angelicam; vnde non mirum vt circa hanc errent Philosophi, qui solo lumine naturali ducuntur ad indagandas has veritates, quando quidem Doctores Ecclesiæ, qui maiori lumine hucbantur, eodem modo ac Philosophus circa naturam Angelicam procedebant. Ad Porphyrium eodem modo respondeo.

72 Ad primam rationem concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem concedo maiorem, & nego minorem vt patet ex dictis.

73 Ad secundam respondetur facile quod quamvis aliqua rationis constitutio possit in Deo cogitari, non tamen hæc quæ est per compositionem generis, & differentia, non quia in rebus creatis genus, & differentia ex natura rei distinguantur; aut propter aliam quamcumque rationem; sed quia dicunt rationes ita præcisas, & limitatas vt repugnent diuinæ infinitati, vt bene ait P. Suarez, nam ex infinitate provenit in Deo vt nulla sit ratio superior, quæ non includatur, & transcendat vltimam differentiam Dei, ac per consequens vt non sit genus, & quia genus vt iam supra diximus petit vt sit extra rationem differentiarum, ac proinde sequitur vt Deus minime in prædicamento reperiatur vt patet ex supra dictis.

74 Ad vltimam rationem respondeo, qualitatem, & quantitatem etiam infinitas esse secundum quid tales; tum quia non sunt per essentiam infinitæ, tum quia non sunt in omni genere entis, sed solum in genere quantitatis, aut qualitatis; vnde etiam si infinita sint sicut sunt imperfecta entia, vt pote accidentia, ita sunt capaces compositionis ex genere, & differentia, quod non mirum cum sint capaces compositionis realis partium integralium, & compositionis cum substantia. Ex quibus euidenter colligitur non posse gradum fieri ad Deum, qui non est infinitus in aliquo genere solum, sed in omni genere, cum summa, & infinita perfectione propter quam est incapax compositionis ex genere, & differentia, quæ necessario requiritur vt res ponatur in prædicamento, vt patet ex supra dictis.

QVÆSTIO VLTIMA

Quæ, & qua ratione in prædicamento collocantur.

75 Tripliciter potest aliquid pertinere ad prædicamentum, primo directe componendo ip-

sam rectam lineam, seu existendo in illa recto ordine, & serie, eo modo quo corpus, viues, animal, &c. pertinent ad prædicamentum substantia; secundum indirecte, seu reductiue, hoc est ad latus vt solet dici, quatenus non per se, & ratione sui, collocantur, & existunt in tali linea, sed quatenus constituunt ea, quæ directe in tali linea ponuntur eo modo quo partes reducuntur ad totum tertio, eo modo quo individuum pertinet ad lineam prædicamenti, quod nec directe est in tali linea constituendo ipsam formaliter, nec reductiue; sed potius tanquam terminus per se, & basis, seu fundamentum, cui totum prædicamentum ædificium innititur.

SECTIO I.

Ponuntur prima, & secunda conclusio.

Prima conclusio: directe solum ponitur in prædicamento ens reale; patet hoc quia illud solum directe ponitur in prædicamento, quod simpliciter, & absolute prædicatur de fundamento prædicamenti, basi, seu termino illius, qui nihil aliud est quam individuum simpliciter reale; sed ens rationis, nullo modo potest absolute, & simpliciter prædicari de individuo reali; quia quod non est simpliciter ens, non potest esse simpliciter prædicatum; ergo ens rationis non ponitur in prædicamento, &c.

Deinde, quia prædicamentum est numerus prædicatorum inter quæ sine dubitatione dantur prædicata realia; sed ens rationis non constituit numerum cum entibus realibus; ergo ens rationis non ponitur in prædicamento.

Si autem velis facere alia prædicamenta fictitia solum entium rationis ad similitudinem prædicamentorum, de quibus agimus, facile patiar, nam in mea sententia ad similitudinem omnium prædicamentorum possunt entia rationis cum fundamento in re excogitari, vt late probatur tractatu de ente rationis, qua fictione liberaberis à cura ponendi ens rationis in prædicamento, siue directe, siue indirecte, quia ens rationis nec reductiue potest poni, cum solum sit ficta quedam similitudo, & non vera entis realis.

Secunda conclusio: Negationes, & privationes omnino excluduntur à prædicamento, quia illud est, vel directe, vel reductiue in aliquo prædicamento, quod participat directe, vel indirecte rationem illius prædicamenti; ideo enim accidentia nec directe nec indirecte sunt in prædicamento substantia; quia nec directe, nec indirecte participant rationem substantia; & contra vero vniuersalis substantialis, & alij modi huiusmodi reducuntur ad prædicamentum substantia; quia saltem imperfecte participant rationem substantia; & ideo modi substantiales dicuntur; sed negationes, & privationes nullo modo participant rationem alicuius prædicamenti, quia omnia prædicamenta sunt entia simpliciter positiva; ergo nullo modo, nec directe, nec indirecte sunt in aliquo prædicamento.

Dices negationes, & privationes esse entia negatiua realia, quatenus sunt negationes entium realium.

Contra, quia dicere quod sunt entia negatiua, est implicatio, sicut v. g. esset implicatorium dicere eam esse esse visum negativum, nam si est negatio

gatio visus: ergo est non visus, quomodo ergo dicitur visum negativum: ergo similiter si negatio entis est, non debet dici ens negativum: sed potius non ens, aut ut purius loquamur dicenda est negatio, seu privatio entis; sed demus, quod participet illud nomen entis, minime tamen participat rationem entis: ergo minime, aut directe, aut indirecte pertinent ad predicamentum.

7 Vergetur, quia illud quod opponitur contradictorie alicui non reducit ad illud cui opponitur: sed negatio entis positivi opponitur contradictorie enti positivo: ergo non reducit ad predicamenta entis positivi: sed potius expellitur à quacunque serie positivi, quia contradictorium quatenus maxime oppositum alteri pugnat cum illo destruit, & expellit illud, & non compatitur cum ipso.

SECTIO II.

Tertia Conclusio ponitur.

8 Tertia Conclusio: entia completa directe ponuntur in predicamento, incompleta autem reductive ponuntur. Hæc Conclusio est clara, quia predicamentum constat directe rebus perfectis, imperfecta autem reducuntur ad perfectam; atqui ens completum, & totale est perfectum; incompleta autem sunt entia imperfecta: ergo incompleta indirecte, & completa directe ponuntur. Item, quia entia incompleta natura sua ordinantur, & reducuntur ad completa tanquam partes ad totum: ergo entia incompleta solum ponuntur reductive in predicamento completorum. Præterea, quia eo modo est res in predicamento, quo est predicatum individui, quia predicamentum est series predicatorum: sed res incompleta, non directe, sed indirecte predicatur de individuo, quod est basis predicamenti; quia non dicimus Petrus est materia prima: sed potius dicimus Petrus habet materiam primam, sumendo indirecte, & in obliquo illam: ergo indirecte, & in obliquo ponitur res incompleta in predicamento.

9 Hinc sequitur partes physicas non directe in predicamento collocari, siue sint partes essentielles ut materia, forma, & unio, siue partes integrantes, v. g. pes, manus, & caput. Sed advertite, inter partes integrantes esse quædam quæ sunt incompleta: quoad statum, seu modum essendi, nam statim ac dividuntur à toto desinunt esse partes, huiusmodi sunt partes homogeneæ, id est, omnino inter se similes, veluti partes aquæ, quæ dum coniunguntur sunt inter se, totamque aquam actu componunt incompleta sunt, cum autem separantur, & desinunt componere alium modum essendi perfectiorem acquirunt; hæc igitur entia pro ratione status modo in predicamento collocantur, modo à predicamento exulant.

SUBSECTIO I.

De differentia controversitur, & quarta conclusio ponitur.

10 Aliqui negant expelli differentiam à predicamento directe: sed affirmandum est, quia

differentia semper concipitur ut constituens speciem in quocumque sensu concipitur; nam siue confuse sub hoc nomine differentie intelligatur, dicitur ordinem ad componendam, & distinguendam speciem; differentia enim ex definitione metaphysica nihil aliud est, quam distinctivum, & constitutivum essentie; si vero expresse sub ratione rationalitatis, etiam sumitur differentia ut incompleta, quia rationalitas nunquam concipitur nisi ut completivum constitutionis hominis; homo enim rationalitate in suo esse completo constituitur essentialiter, & sic teste Aristotele in capite de substantia differentie substantiales non sunt substantie, scilicet directe, & complete, ac proinde nulla differentia sub suo genere directe collocatur, repugnat enim hoc proprie compositioni ex genere, & differentia, ut constat ex Aristotele 1. metaphysicorum, c. 3. alioqui, & in tali compositione procederetur in infinitum, & ipsa differentia esset species, & predicaretur in quid, quæ omnia repugnant, ut indicavit etiam Aristoteles 1. Topicorum, cap. 13. Ponuntur ergo hæc differentie in predicamento reductive, quia sunt partes metaphysicæ illius, quod directe in predicamento collocatur.

Et licet materialiter differentia sit idem, quod totum, nihilominus proprie, & formaliter est pars metaphysica, & formalissime per modum partis significatur, & ideo dicitur ab Aristotele, & Porphyrio differentiam predicari in quale, quia significat formam ut adiacentem animali qualificando ipsum, quod est significare rem per modum partis, & per modum entis incompleti.

Dicit Hurtado, genus non magis completum esse quam differentiam, ac proinde sicut genus ponitur in predicamento, ita posse differentiam poni.

Sed contra primo, quia genus si sumatur potest componere, vel ut actu componitur cum differentia specie, sub hoc conceptu est quid incompletum, ac proinde directe non ponitur in predicamento; alio equidem modo concipitur genus metaphysice, id est, illud predicatum quod a genere re denominatur tale, ut quid abstractum, & præcisum ab omni ordine ad compositionem ut quædam essentia constans suo genere, & differentia, ratione videlicet communi, & propria, v. g. animal quatenus est compositum quoddam ex viventi, & sensibili sibi subsistens, & suis constitutivis adequate coalescens, sistendo in hoc solum concipiendo naturam illam secundum se, & quatenus constituitur à suis partibus in esse totius completi, quod predicatum hoc modo conceptum sine dubio est quid completum non minus ac homo, qui ex eo quod suo genere, & differentia constat, & suis constitutivis superioribus, & inferioribus componitur metaphysice: ergo similiter animal si concipitur ut quædam natura vivens, sensibilis, & ut adæquatum principium operationum vegetabilium, & sensitivarum metaphysice est quid completum; differentia autem concipitur semper, v. g. rationalitas ut formam quædam simplex quoad expressum, non composita ex ratione superiori, & inferiori, & tali determinatione constituat, & componat speciem, ac proinde non significatur per modum totius completi, sed potius ut quid incompletum.

& quasi partiale completivum, constitutivum totius, & ideo licet genus constituitur directe in prædicamento; non tamen constituitur differentia. Nam gradui animalis, v. g. per accidens est componere cum differentia aliquid sibi inferius, hominem videlicet; differentia autem, quia concipitur per modum formæ, maxime per se convenit ordo ad componendam speciem, & distinguendam illam à quacunque alia, quia omnis forma dicit ordinem ad concretum, quod ex ipsa resultare debet: atqui non dicit talem ordinem ut quid completum: sed potius ut pars, & entitas incompleta, quia completum ut completum non ordinatur ad complendum: ergo semper, & sub quacunque consideratione differentia habet conceptum partis, & rei incompletæ per se, & quatenus forma metaphysica est.

14 Explicatur, quia anima ut sic, v. g. vel forma non concipitur in toto rigore, & in omni sensu ut incompleta, eo quod concipitur ut superior ratio respectu huius, & illius formæ particularis, & nihilominus semper consideratur ut incompleta, quia semper concipitur ex eo quod forma sit in ordine ad animatum, quod est concretum, quod constituitur ab illa, forma enim quatenus talis dicit ordinem essentialem ad effectum formalem proprium complendum, & constituendum: ergo similiter differentia metaphysica, v. g. rationalitas, quæ metaphysica forma est, non ideo absolute, ac simpliciter dicitur incompleta, quia per modum superioris communicatur huic, & illi inferiori Petro videlicet, & Paulo: sed quia dicit ordinem ad proprium concretum seu effectum formalem constituendum, & componendum, v. g. hominem, qui est species, & totum metaphysice completum. In prima enim consideratione licet aliquid habeat incomplementum, ex ea parte qua concipitur ut actu componens, seu potens componere cum talitate differentia inferioris, nihilominus quia talis compositio inferioris est quasi per accidens illi, quia non est ex indigentia propria: sed ex indigentia inferioris, non dicitur simpliciter, & absolute incomplementum: sed solum aliquo modo, quod ideo compatitur cum ratione totius potentialis respectu ipsorum inferiorum. Itaque tota, & adæquata simpliciter ratio quare differentia dicitur absolute, ac simpliciter incompleta, non est quia est in ordine ad inferiora: sed potius, quia est forma quædam simplex quoad expressum ordinata ad componendum proprium effectum formalem metaphysicum, quem non respicit ut ratio superior suum inferius: sed potius ut pars totum, & ut completivum essentiale completum.

15 Tunc sic, genus non est forma alicuius quasi æqualis effectus formalis, neque est pars alicuius totius ad quod componendum, & constituendum per se ordinatur: sed potius est, & concipitur per modum cuiusdam gradus completi, & totalis sufficienter constituti in suo esse, & in ratione principij adæquati operationum perfectarum; ergo licet differentia ratione illius incompleta, quod habet ex eo quod forma sit, expellatur à prædicamento, genus nullo modo potest expelli ab illo, quia per se, & ex indigentia propria nullum habet incomplementum: sed potius ex parte sua est per se, & essentialiter completum, ut iam diximus; unde non bene debet à differentia ad genus argui quoad hunc finem, videlicet.

R. P. Ioseph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

rei ut sit, vel non sit in prædicamento.

Contra secundo, quia differentia licet sit idem cum subiecto, & cum tota entitate illius à parte rei, non tamen significat illud tanquam quid formaliter illi conveniens; nec tanquam formale significatum proprium: sed tantum connotative, & quasi extrinsece; genus autem significat per modum totius potentialis omne quod est in subiecto inferiori in specie videlicet, quatenus est id totum formaliter in potentia quod est species actu, & ratione huius significationis, & continentia potentialis quam non habet differentia genus est ens completum, & ponitur directe in prædicamento non vero differentia.

Dices continere in potentia, & confuse non sufficere ad complementum substantiæ; sed continere in actu, alias materia prima quæ in potentia continet forma erit substantia completa.

Sed contra, quia continere in confuso, aut tanquam totum potenziale, ut bene adnotat P. Suarez non est includere in potentia physica reali, & vere passiva, qualis est materia prima: sed dicitur esse in potentia logice, aut secundum rationem, quæ potentia non excludit, quin res concepta actu sit completa substantia, & actu includat quidquid ad tale complementum necessarium est, quamvis illud totum non concipiatur directe tali conceptu, sed confuse per modum totius, atque adeo per modum substantiæ completæ, quia entitas completa nihil aliud est quam entitas totalis, & integræ antecedens patet ex modo concipiendi, & prædicandi; nam homo nihil aliud est quam ipsa individua completa sub ratione unius, & ideo ut sic includit totam substantiam individuorum, & idem est de superioribus prædicatis proportionaliter, & ideo possunt superiora de inferioribus prædicari, quia dicunt totum quod in illis est, unde cum alias dicant illud ipsum totum per modum substantiæ, seu existentis ut id quod est, dicunt etiam illud per modum substantiæ completæ, & totalis.

SVBSECTIO II.

Ponuntur quinta, sexta & septima conclusio.

Quinta conclusio: omnia entia per se, aut per se accidentalia, aut substantialia, ut supra explicimus, ponuntur directe in prædicamento, atque adeo entia per accidens à prædicamentis ablegantur, quia entia per accidens cum non sint unius essentia, sed plura contineant completa entia, ex quibus essentia una constari nequit, ita vera genera aut species esse non possunt, quod requiritur ad hoc ut sit aliquid in prædicamento, ut v. g. acervus lapidum; ergo sola entia per se sunt directe in prædicamento collocanda. Ratione huius conditionis excluduntur à recta linea prædicamenti omnia entia artificialia ut scamnum, quia non habent propriam unionem in suis partibus; unde partes eius ex sua natura, sunt completa entia, & non ordinantur ad compositionem; nam si ex natura sua ordinarentur non entia artificialia, sed naturalia dicerentur; nec indigerent unionem artis: sed naturæ, cum autem unio artis non sit propria unio, non facit proprie unum artificiatum illud, & sic totum artificiale non est una essentia, sed

Z z z plures

546 Disp. IX. De prædicamento Substantiæ,

plures essentia simul coniunctæ quæ sunt sine dubio vnum per accidens, in prædicamentis autem licet ponantur entia per se accidentalia, non tamen ponitur ens per accidens, quia singula prædicamenta sunt pro singulis essentijs, & distinctæ genere essentia sunt in distinctis generibus prædicamentorum.

20 Dices, aurum factum arte chimica est aurum artificiale, quia arte factum est, & nihilominus est ens per se, & est vna essentia, quia est eiusdem essentia cum auro naturali; unde tam directe ponitur in prædicamento sicut aliud: ergo falso excluditur artificium à prædicamento.

21 Respondetur cum evidentia, & sine dubitatione, aurum chymicum, tam quoad substantiam, quam quoad compositionem omnem substantialem esse naturale non artificiale; nam & substantia est eiusdem rationis cum substantia auri naturalis, & principia compositionis substantialis sunt naturalia, & compositio ipsa substantialis est naturalis, quia est vno actus, & potentia naturalis, solum igitur dicitur aurum artificiale ratione preparationum antecedentium, & ratione applicationis activorum passivis, vel modi disponendi; modi enim illi præparandi materiam, & inducendi dispositiones ad aurum producendum sunt ab arte excogitati, & distincti à modis naturalibus, quibus aurum produci solet à natura, quocirca aurum chymicum quæ naturalis, non quæ artificiale ponitur in prædicamento.

22 Sexta conclusio: æquivoca, analogæ, & complexa non ponuntur in prædicamento directe: probatur, prædicamentum est prædicatum, quæ æqualiter de inferioribus prædicantur, ac proinde quæ sunt vel genera vel species: atqui æquivoca analogæ, & complexa non sunt genera neque species, quia non sunt universalis ex eo quod non habeant unitatem simpliciter quæ requiritur ad universale simpliciter, cum habeant simpliciter pluralitatem: ergo non sunt in prædicamento. Præterea, quia prædicamenta ordinantur ad distinguendas res inter se: sed æquivoca, complexa, & analogæ hanc distinctionem non habent: sed potius confusionem, cum sint plura quasi permixta; ergo. Deinde Aristoteles prius divisit ens in complexum, & in incomplexum, & postea incomplexum subdividit in decem prædicamenta, per quod evidenter colligitur Aristotelem exclusisse complexa à prædicamentis.

23 Hic nota complexa esse in duplici differentia, quædam constant ex naturis diversarum prædicamentorum iuxta exigentiam diversarum rerum, quas includunt ut homo albus, quod complexum secundum primam partem ponitur in prædicamento substantia, quoad secundam vero in prædicamento qualitatibus. Alia complexa sunt, quæ constant ex partibus eiusdem ordinis ut animal rationale, & hæc complexa secundum genus ponuntur directe in prædicamento, indirecte autem secundum differentiam.

24 Ultima conclusio, voces non ponuntur in prædicamento etiam ut significativæ rerum: probatur, quia illa ponuntur in prædicamento, quæ subiiciuntur, & prædicantur; sed voces ut significativæ rerum non subiiciuntur, & prædicantur ut de se pater; ergo res illæ significatæ per voces, non vero ipsæ voces ponuntur in prædicamento, data opera dixi voces ut significativæ rerum non poni in prædicamento, nam si de

illis ut sunt quædam qualitates naturaliter procedentes ab agente naturali, agamus per se in suo prædicamento collocantur, & idem est de conceptibus; Item illud ponitur in prædicamento quod est prædicatum essentiale individui: sed voces, & conceptus non prædicantur essentialiter de individuo, ergo non ponuntur in prædicamento directe.

Omnes conditiones requisitæ ut res in prædicamento ponantur his versibus continentur.

Vox una, & simplex rebus concinna locandis,

Entia per se finita, realia, tota.

Vox vna, id est, res univoca: simplex, id est, 26 non complexa ut aliquis homo; Entia per se finita, id est, quæ habent genus, & differentiam: Realia id est, quod non sint entia rationis. Tota, id est, quod non sint entia incompleta.

DISPUTATIO IX.

De Prædicamento Substantia.

QVÆSTIO I.

De acceptionibus huius nominis Substantia.

NE dum loquimur sermonemque textimus de rebus in nominum ignorantiam dilabamur, ut sapienter docet Hilarius lib. de symo tom. 6. opera prætorum duxi huius nominis, substantia, acceptiones, & significationes enotare, ut ipsorum face præeunte, clarius, dilucidius, ac evidentius mysteria, difficultatesque rei per ipsum nomen significatæ rimemur, ac enucleemus.

Primo sumitur substantia pro principio seu fundamento rei, & ideo substantia dicitur primum ens, & non aliquid ens: sed simpliciter ens. Averroes legit loco illius nominis, primum fundamentum omnium entium, id est, ens cui innituntur, & fundantur omnia, à quo tanquam à principio dimanant modi, & accidentia, quod aperte tradit Aristoteles lib. 7. metaphysicæ cap. 1. rursus lib. 2. ethicorum ad Eudemum omnes sperandorum substantia rerum: unde secundum mentem Anselmi, & Divi Thomæ; imo omnium scholasticorum, ut bene adnotat P. Suarez tomo de fide, disp. 6. sec. 3. fides vocatur substantia rerum, quia est fundamentum spei, quia nomen hypostasis, quæ habetur græce loco substantia proprie significat fundamentum, seu substantiam quatenus substat alijs, & quia proprium est fidei fulsire spem, non posset enim homo sperare nisi crederet, ideo certitudo fidei proportionata est certitudini fidei, & hoc etiam significat Augustinus, qui locis citatis ait legis fidem esse substantiam sperantium, nam est veluti baculus, in quo viatores nituntur ad sperandum, & quoniam huius vitæ quasi velocissimi fluminis cursum transmeant felicissime, eo modo quo sanctus Iacob, Genesis 32. dicebat in baculo meo trans-